

VIRO ILLUSTR

DD: BERNARDO JUSSIEU,

MEDICINÆ DOCTORI, PROFESSORI BOTANICIS, MEMBRO SOC: REG: ANGL., ETC., BOTANICO SUMMO,

S. PL. D.

CAROLUS LINNEUS.

Stockholm, 1739 Die 8 Jun: styl: vet:

ANNUS jam elapsus est ab istâ tristissimâ horâ, quo te, Mæcenatem meum, valere jussi flens abituriens. Inter exteros nullus certe me sibi devotum reddidit magis quam Tu, heu impensis nimis, beneficiis innumeris, mente amicissimâ, charitate inæstimabili; vivis proin apud me, altâ mente reconditus quamdiu Spiritus hos reget nervos. Memor vivo præteritorum: liberalis mensæ et hospitii, itineris fontis bellilaquei tuis impensis instituti; dierum omnium mihi consecratarum; Horti et herbariorum mihi apertorum quotidie; • consortii et animi tui unice mihi inserviendi cupidi. Sed quid ego ad hæc omnia! Nil remanet nisi devota admiratio et coram meis simplex oratio et qualis frigida borealis lingua canere possit. Reddat tibi Ille qui potest omnia, qui tam liberali manu mihi aperuisti omnia.

Redii in patriam salvus. Sedem Stockholmiæ fixi. Ignotus fere per dimidium annum nostris, † tandem reconvalui; Comes Tessin his diebus qui vestras Lutetias

• “*At Paris Linnæus employed himself in viewing the fine garden, the herbaria of the Jussieus, Tournefort, Vaillant, Surian, and others, as also the large collection of books belonging to D’Isnard.*” (Linnæus’s *Diary*.) — Quæ herbaria Parisiis adhuc extant, Tournefortianum scilicet et Vaillantianum in Museo Historiæ Naturalis, prius seorsim servatum, posterius herbario mixtum generali cujus primum fuit fundamentum. Jussieanum continuata hæredum botanophilorum series religiose conservavit et naturali progressu auxit, cui accedunt Isnardianum a diversis vicissim, denique post Commensorium ab Ant. Laur. de Jussieu adeptum, et hic a Linnæo memoratum herbarium Suriani, decem tantum plantarum Americanarum centurias complexum, sed quæ nonnullius sint ad rem herbariam pretii. Ipsas enim in Antillis collegerat Surian Plumieri comes, ita ut Plumieranas naufragio amissas solæ nunc suppleant. Singulæ, more multorum (ut fit in plerisque Anglicis) herbariorum, singulis paginis adglutinate sunt in volumina decem digestis, nominibus vernaculis vulgo designatæ. — Isnardi, cujus *bibliophiliam* Linnæus pluries in his litteris recordatur, ditissima præsertim librorum historiæ naturalis bibliotheca (Vide: *Catalogue des Livres de feu M. Danty d’Isnard. Paris. 1744.* 12mo. pp. 378) Linnæo ad secundam suæ Bibliothecæ Botanicæ editionem profuit, quippe qui e Galliâ proficiscens ad Hallerum scribat: “*Vidi bibliothecas tam publicas quam privatas botanicas bene multas,*” Isnardianam unice in Diario memoravit, “*ut jamjam in statu sim, ut edam alteram Bibliothecæ editionem; habeo enim nunc duplo majorem librorum numerum.*”

† “*Stockholm received Linnæus in the month of September, 1738, as a foreigner. He intended to establish himself here as a physician, but, being unknown to every body, people were unwilling to trust their lives into the hands of an unexperienced practitioner; nay, they would not even trust him with their dogs, so that*